





1698.

18. Strykius, Samuel: De jure ususfructus dediticus.
- 19^{a, b, c} Strykius, Samuel: De combinatorum litterarum acceptatione
3 Exempl. 1698 et 1710.
- 20^{a et b} Strykius, Samuel: De praesumptione pro magistratu.
2 Exempl.
21. Strykius, Samuel: De jure servitutum praedialium
dediticus.
- 22^{a, b, c, d} Thomarius, Christianus: De fundamentorum definiendi
causas matrimoniales hactenus receptorum insuf-
ficientia.
23. Wernmeister, Franciscus Heinrichus: Filium abbasneum
in studio medico . . . paterere et Philiberti bene-
vole probandum asserere sustinebit.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]



788.

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
De

**JURE
USUSFRUCTUS
HODIERNUS.**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

MARCHIONE BRANDENBURGICO ELECTORATUS
HÆREDE, &c. &c.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

DN. SAMVELE STRYKIO,

JCTO, SERENISS. ET POTENTISS. ELECTOR. BRAN-
DENB. CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE PRIMARIO,
FACULT. JURIDICÆ ORDINARIO, ET
p. t. DECANO

PATRONO ET FAUCTORE ÆTATEM DEVENERANDO
IN AUDITORIO MAJORI

Die X. Octobr. MDCXCIX.

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

AUTOR

JOHANN FRIDERICH *Arnst* /

Budiss. Lusat.

HALÆ MAGDEB, Literis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.



PRÆNOBILISSIMIS , EXCELLENTISSIMIS , AMPLISSIMIS
atque DOCTISSIMIS DOMINIS

DN. CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORIBUS,
ET
CAMERARIIS,

NEC NON
DN. SCABINIS
& venerandi Collegii Senatorii Reipubli-
cæ Budissinensis Assessoribus.

*Patribus Patriæ vigilantissimis, Dominis
suis Patronis & Promotoribus ætatem
observandis,*

Disputationem hanc Juridicam

Ea qua par est animi submissione consecrare,
simulque iis se & studia sua omnibus mo-
dis commendare voluit ac debuit.

observantissimus Cliens
Johann Friederich Arnst/
B. L.



De
JURE USUSFRUCTUS
HODIERNO.

TITULUS I.
DE USUFRUCTU, ET QUEM-
ADMODUM QVIS UTATUR FRUATUR.

§ I.



Dominium cujusque rei Dominii pars est usufructus.

plenum & proprietatem & usumfructum continet: hunc enim si ademeris, mox dominium minus plenum esse incipit. Qua ratione motus fuit Paulus, ut in *L. 4. ff. b. t.* usumfructum in multis causis Dominii partem esse assereret, quamvis dominium ipsum non exspiret, usufructu in alium translato *L. 25. ff. de V. S. Garl. de expens. c. 10. n. 4.* Et hunc usumfructum dominio cohærentem, vel potius ex Jure dominii fluentem eapropter Interpretes *causalem* hætenus appellarunt, quod causam agnoscat Dominium rei penes nos existens, secuti *Gloss. in L. 1. b. t.* Joh. del Castillo *Tr. de Usufr. c. 1. n. 2.* Cui *formalem* usumfructum opponunt, qui nobis in re aliena competit. Qui termini, an apta distinctionis membra producant, unicuivis apparet facile, qui causam & formam sibi non opponi, perspectum habet. Commodius itaq; & ad sensum fori accommodatius loquimur, si dicam: Ususfructus in re aliqua nobis competit vel Jure proprio, vel ab alio nobis concess-

A

so;

so; five quod idem est: Vel jure domini, vel servitutis. Ille huc non pertinet, nec Leges modum utendi fruendi determinantes illi applicari possunt, sed quisque fruitionis rei suæ moderator est ac arbiter *L. 21. C. mand. cum re sua abuti possit, quatenus ille abusus non tendit in damnum Reip. §. 2. I. de his qui sui vel al. jur.*

Ususfructus
constitutio
fluit ex jure
dominii.

§. II. Interim ex illo usufructu dominio cohærente, derivamus omnem illam facultatem re aliena utendi fruendi. Qui enim usumfructum jure Domini nō habet, ille nec alteri eundem in re sua constituere potest, cum ex potestate alienandi, usufructus constitutio fluat *L. ult. C. de reb. al. non al.* Unde qui pro parte rei Dominus est, non nisi pro parte Usumfructum constituere valet *L. 20. ff. Usufr. quemadm. cav.* & cujus dominium ad certum tempus restrictum, ut est in illo, qui jure retrovenditionis rem tenet, ille ultra tempus domini alteri usumfructum concedere nequit. *L. Lex vectigali 31. ff. de pignor.* Ex nuda autem rei proprietate jus concedendi usumfructum non dependet, nisi in illum casum, quo usufructus ad proprietatem reversurus. Quorsum pertinet Pauli assertum in *L. 63. ff. b. t.* illum qui fundum habet, licet usumfructum non habeat, tamen hunc cedere posse; sc. jus illud, quod sua die ad proprietatem reversurum, sicut hoc explicat Ulpianus in *L. 72. ff. b. t.*

De Dominio
utili.

§. III. De dominio utili dubitatur, an & hoc conexam habeat facultatem, alteri usumfructum concedendi: Cui ut respondeamus, necessum est, ut usumfructum a Dominio utili probe distingvamus; nam inter hæc in foro quoque interest quam plurimum. Quamvis enim Domini utilis mentio in jure nostro non occurrat, & hinc aliqui existiment, nullum inde commodum in forenses conflictus redundare, sed im-
plen-

DE USUFRUCU.

3

plendis potius paginis conducere, cum non opus sit dicere, utile dominium habeo in illo fundo, sed usufructus illius fundi meus est, vid. Mejer *in Colleg. Argent. tit. de Acquir. rer. dom. §. 5. in med.* Cum tamen usu fori receptissima sit hæc distinctio, & vasalli & usufructuarii conditio confundenda non sit, probe hæc ipsa in foro distingvenda censemus, cum dispari effectu gaudeant. Est itaque *dominium utile* jus de utilitate fudi alieni perfecte disponendi, eamque vindicandi, in quantum salvo dominio directo fieri potest. Econtrario usufructus est Jus alienare tantum utendi fruendi salva ejus substantia *L. 1. ff. h. t.* Ex quo sequitur, usufructuarium contentum esse debere sola fruitione rei, in illo statu, quo est, nec quicquam circa rei formam immutare posse. Eapropter qui ædium usufructu gaudet, neque diæta transformare vel conjungere aut separare ei permittitur, vel aditus, porticasve vertere: vel refugia aperire: vel atrium mutare: vel viridaria ad alium modum convertere: Excolere enim quod invenit potest, *qualitate ædium non immutata L. 13. §. 7. ff. h. t.* Pariter nec domum per cœnacula dividere potest *d. L. 13. §. ult.* Porro nec novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere potest Usufructuarius, quia tametsi meliorem, excolendo ædificium, domini causam facturus esset, non tamen id jure suo facere potest: aliudque est tueri quod accepisset, an novum faceret; sunt verba Neratii in *L. 44. h. t.* Imo hoc durius adhuc est, quod ne ædificium quidem inchoatum consummare possit, etiamsi eo loco aliter uti non possit *L. 61. ff. eod.* Omnia vero hæc sine dubio vasallus vi dominii sui utilis in feudo facere poterit, quia hic rem ad sui commoditatem & utilitatem pro lubitu aptare potest, & hinc & de re in

Dominium
utile quid sit?

Quid minus
sit in Usufructu?

A 2

feu-



feudum concessa disponere, si domino directo inde non contingat præjudicium: Imo & vindicare poterit rem a tertio *z. feud. 8.* cum tamen usufructuarius domum vindicare nequeat, sed actione confessoria ipsi experiendum, pro consequendo usufructu.

Ratione durationis nihil interest.

§. IV. Interim hoc certum esse puto, ratione durationis inter dominium utile & usumfr. parum interesse; quamvis enim ususfr. morte exspiret, dominium utile autem e. g. Feudum vel Emphyteusis ad descendentes transmittatur: Nil tamen vetat, quo minus tam Feudum, quam Emphyteusis ad vitam possessoris restringi valeat. In hoc vero & intuitu heredum pingvior conditio est domini utilis, quam usufructuarii, quod licet etiam ususfr. pro heredibus concessus sit, ultra primam generationem non extendatur, per *L. antiquitas 14. C. de Usufr.* aliud tamen in dominio utili pro se & heredibus cōcesso. Sed quæ differentiæ ratio? Sane pro usufr. afferitur, quod inutilis foret proprietas, si nunquam ad illum reverteretur usufructus. Sed an non idem in dominio directo, si nunquam rediret utile? Resp. retinet hic interim aliquid commodi dominus directus, utpote qui à vasallo servitia, ab Emphyteuta canonem, à superficiario solarium capit. Sed regeri posse video; hac ratione feudum francum in perpetuum concedi non posse, cum sic nihil commodi penes dominum directum maneret? Resp. laudemium tamen ipsi supererit, quod quovis casu mutationis præstandum.

Dominus utilis an usufructum constituere possit?

§. V. Sed ut ad scopum revertar, quæritur; An vassallus vi domini utilis usumfr. constituere possit? Negativa sententia fere communis est, cum denegata potestate alienandi *z. Feud. 55.* etiam denegetur potestas usumfr. constituendi *L. fin. C. de Reb. alien. non alienana.*

Schrad

Schrad. *de Feud. part. 8. cap. 1. n. 10.* sed cum omnes Feudistæ uno ore adstruant, posse vasallum de feudo suo alium subinfendare, quod & textui juris feudalis convenit 2. *Feud. 9. pr.* ita ut utile dominium aliquod subalternum in subvasallum conferat, Struv. *de Feud. cap. 12. th. 9. n. 3.* non video rationem, quare usumfr. concedere non possit; cum si non plus, certe idem juris cum usufructuario habeat subvasallus. Unde tandem hoc ipsi indulgent, quod facultatem percipiendi fructus ex feudo ad alium transferre possit, Rosenth. *de Feud. cap. 9. membr. 1. concl. 10. n. 5.* Sed ego verum usumfr. ab ipso constitui posse existimo, cum nihil præjudicii contingat domino directo; nec desinet ea propter ususfr. indoles, quod mortuo vasallo ejusque descendentibus masculis extingveretur. Idem enim de omni alio dominio revocabili verum est, cui tamen ususfructus concessionem concedendam esse, assertum est antea §. 2. etsi tandem emphyteuta fundum emphyteuticum alteri in usufructum concedere potest, fatente Schradero *d. p. 8. cap. 1. §. 10. in fin.* ulla ratio resistet, quare non hoc etiam vasallus possit.

§. VI. Cum vero dictum fuerit antea §. 3. jus utendi re aliena in usufructuario ita restrictum esse ad statum præsentem rei, ut nec meliorem domini causam facere possit, per *L. 44. ff. b. t.* hoc vero communibus juris & æqui regulis adversetur, ubi quisque alterius, etiam ignorantis & inviti conditionem meliorem reddere potest, *L. solvendo 39. ff. de negot. gest.* inde dubitatur, an hæc juris decisio usu fori obtineat? Inanes has tricas existimat Dn. Brunnem. *in L. 44. n. 3. ff. b. t.* si enim in foro proprietarius contra usufructuarium experiretur, quod fundi faciem in melius mutasset, vel ædes ad meliorem

Usufructua-
rius melio-
rem rem red-
dere potest.

usum per cœnacula divisisset, obstaret ipsi exceptio, *tua non interest*, quæ omnem agentem à iudicio repellit, Bartol. in *L. 27. §. 4. vers. ante omnia ff. de Part.* & sane si usufructuario permillum est, vineas, arbuta vel oliveta deicere, & argendifodinas instituere, si plus redditus inde percipi possit, ob subjectam rationem, quod illi liceat meliorare proprietatem *L. 13. §. 5. in fin. ff. h. t.* cur non in ædibus aliisque rebus in usumfr. concessis idem meliorandi jus haberet? An autem expensas omnes à proprietario repetere possit, alia quæstio est. Quas enim lege renitente fecit, sine dubio repetere nequit, quippe idem foret, quam si invito domino impendisset, ubi cessat repetitio, ob *L. fin. C. de Negot. gest.* suæ enim commoditati litare potest usufructuarius, quousque deteriore fundum non facit, ob cessans interesse proprietarii; sed ad expensarum restitutionem ipsum obligare non poterit, nisi qua necessitas plus quam modicas expensas (hæ enim usufructuario ex fructibus faciendæ *L. 7. §. Hactenus 2. ff. h. t.*) ad rei in usumfr. concessæ conservationem exegerit, ubi negotiorum gestorum actione sibi consulat, vel etiam heres usufructuarii retentione gaudebit. Garcias *de expens. cap. 11. n. 25.* In cæteris autem expensis tollendi licentiam ipsi non denegandam puto, modo non deterior reddatur fundus quam si initio non foret ædificatum; arg. *L. in fundo, 38. vers. sufficit ff. de R. V.* non quasi m. f. possessoribus annumerandus esset usufructuarius, sed quod ædificando legem ususfructus non servaverit, conf. Clemens Merlin. *Decis. Rot. Rom. 546. n. 8. & 41. sq.*

Sed an expensas repetere possit?

De servitute fundo usufructuario imponenda, §. VII. De cætero expeditum esse censeo, consentiente proprietario, usufructuarium omnia in fundo facere posse; quæ libuerit. Mira tamen decisio est, quam

quam exhibet Ulpianus in *L. 15. §. fin. b. t.* perspicuis verbis asserendo: *Proprietatis dominum, nequidem consentiente usufructuario servitutem imponere posse.* Equidem non desunt rationes, quas hic adducunt Dd. pro defendendo Jcto Præcipua hæc est, quam affert Hilliger in *Donell. Lib. 10. cap. 11. lit. A.* quod servitutis impositio fit alienationis species, usufructuarius vero, cum alienare nequeat, nec alienanti consentire potest, *L. 165. ff. de R. J.* confer. Brunnem. *Exercit. 7. ad Instit. tit. 3. §. 3.* Sed quam parum hæc concludant, sola ratione naturali facile percipi poterit: Qui enim rem solus alienare nequit, huic certe nihil obstat, quo minus, si illi consentiat ob cujus interesse alienatio permessa non erat, actus subsistere queat, e. g. Dominus rem quam alteri in feudum concessit alienare nequit; Ergo nec vasallo alienaturo consentire potest; quod absonum est. Nec resistit allegata juris regula in *L. 165. de R. J.* hæc enim sine dubio restringenda est ad illum, cui donatio vel alienatio interdicta est, ob qualitatem non rei, sed personæ; h. e. cui vel ætas, vel mentis deliquium vel aliud obstaculum resistit, quo minus donare possit. Unde de pupillo donationi consentiente casum concipit Jacob. Gothofred. in *Comment. ad. d. L. 165.* ubi vero in re defectus adest, quod eam pleno jure non teneat alienator, certe nihil obstat, quo minus concurrente illo, cui quid juris quo ad dominum reliquum est, rem alienare, & ita alter alteri consentire possit. Eapropter recte responsum est in *L. 4. §. 12. ff. de dol. mal. §. metus except.* si proprietarius fundum volente fructuario vendiderit, subsistere venditionem; ubi sane fructuarius in alienationem proprietarii valide consentit, cum tamen ipse alienare non possit. Quare mirabilem illam decisionem in *in d. L. 15. §. fin. ff. De praxi. b. t.*

b.t. (cujus rationem se assequi non potuisse, post Curtium in *L. pen. n. 37. ff. de Pact.* fatetur Pinellus ad *L. 1. p. 2. n. 74. C. de bon. Matern.*) usu fori non obtinere, sed moribus proprietarium consentiente fructuario servitutem imponere, post Mornatium ad *d. L. 15.* recte asserit Grœnwegen *d. LL. abrogat. ad L. 15. b. t. n. 3.* & Brunnem. in *Comment. ad d. L. n. 4.* conf. omnino Dn. Schilter *Exercit. 17. ad ff. th. 46.*

De Usufructu
legali patris.

§. VIII. Transeundum jam ad acquisitionem ususfr. qui vel dispositione juris; vel hominis inducitur. Illa ratione patri competit ususfr. in bonis liberorum maternis aliisque adventitiis *L. 1. §. 2. C. de bon. matern. L. 6. pr. §. 1. C. de bon. qua lib.* & quidem vi patriæ potestatis *§. 1. Inst. per quas pers. cuiq. acquir.* & *L. 6. pr. ibi: in potestate constitutus C. de bonis qua lib.* Unde quamvis Richter *p. 1. decis. 18. n. 25.* existimet, moribus Saxoniae aliud obtinere, nec usumfr. hunc propter patriam potestatem, sed propter reverentiam & onus educationis deberi; merito tamen ipsi contradicit Carpz, *lib. 6. Resp. 70. n. 23.* alioqui si filius aliunde alimenta haberet, & ita pater ab onere educandi immunis esset, hic ususfr. cessaret, quod tamen falsum esse, præjudicio confirmat Carpz. *p. 2. const. 10. def. 7. n. 7.* Gallorum tamen moribus bona adventitia liberis ita propria esse, ut in patrem inde nihil commodi redundet, existimat Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 1. cap. 14.* Papon. *de Arrest. Regni Gall. lib. 7. tit. 1. arrest. 4.* Grœnw. *ad §. 1. Instit. per quas pers. cuique acquir.*

De Usufructu
in feudo filii-
fam.

§. IX. An vero si filiusfam. feudum acceperit, ejus ususfr. patri pariter acquiratur, controvertunt inter se Dd. Equidem *tit. Cod. de bon. qua liber.* hic non distinguit: Sed cum feudorum ignara sit Jurisprudencia Romana, inde hujus casus decisio non petenda. In ju-
re

DE USUFRUCTU.

9

re feudali autem certum est, quod per feudi concessionem nemini jus acquiratur, quam ipsi vasallo, & cui alias expresso pacto prospectum; Pacto autem hoc deficiente, ususfr. solius vasalli est, & proprietas domini
2. Feud. 23. Ritterh. partit. Feudal. cap. 6. qu. 7. cui suffragatur ratio civilis, quod patri ususfr. non acquiratur, si ea lege vel conditione filio bona donentur, ne ad patrem transeat ususfr. *Nov. 117. cap. 1. pr.* Atqui vero hanc legem tacite dominus adjecisse videtur, dum feudum filio concessit nō pro ipso & patre, sed pro ipso & descendantibus. Imo filius ex feudo alias nihil comodi haberet vivo patre, cum tamen ad onus servitiorum teneatur, quod contra regulam foret *L. 10. ff. de R. 7.* Ut taceam feuda intuitu militiæ dari, ut hinc magis castrensi peculio adscribenda, *Vultej. de feud. Lib. 1. cap. 4. n. 8.* de quo dictum in *Exam Jur. Feud. cap. 10. qu. 15.* demum hoc addo; feuda plerumque à Principe dari, quo casu jure civ. res decisa est, patri ususfr. non deberi *L. 7. C. de bon. qua liber.* *Carvalho Tr. de Quartis ad C. Raynaldus X. de Test. n. 4. cap. 1. n. 247. & seq.* *Card de Luca Theatr. verit. & Justit. tom. 3. tr. 3. p. 1. disc. 60. n. 11.*

§. X. Acquisitio autem illa paterni ususfr. jure novissimo quibusdam casibus limitata, inter quos præcipuus est, si filiofam. ea lege quid donetur vel legetur, ne ad patrem transeat ususfr. sed filius pleno jure illud capiat, per *Nov. 117. cap. 1. pr.* quod ea propter peculium adventitium irregulare vocari sivevit. Cæterum non tantū extraneus, sed ipsa mater & avia patrem hoc pacto ab ususfr. bonorum maternorum excludere potest, quod uti evidens est ex verbis *d. Nov. 117. cap. 1.* ita gravissime controversitur; an mater patrem ita generaliter exclu-

De usufructu patri interdicto.

An valeat etiam quoad legitimum?

B de-

dere possit ab usufr. ut nec in legitima materna filii hunc retineat? Rationes in utramque partem non desunt. Affirmativam post *Gloss. in d. Nov.* defendit Vincent. de Franch. *decis. 161. n. 6.* Berlich *p. 1. decis. 137.* Strauch. *ad Jus Justin. dissert. 7. th. 34.* Paschalis *de Patria potest. p. 1. n. 38.* hac ratione moti: quod omnis dispositio circa legitimam subsistat, per quam non gravantur liberi; hoc enim solum gravamen removetur *L. quoniam 32. C. de Inoff. test.* gravamen vero filius non sustinet, sed commodum potius, si legitimam pleno jure percipiat. Negativa autem communior est, quæ expresso textu nititur in *d. Nov. 117. cap. 1. ibi: postquam reliquerint filiis partem quæ Lege debetur, quod reliquum est &c.* subjecta ratione Quia quæ ultra legitimam sunt, cuivis extraneo relinqui possunt, hinc patri nulla infertur injuria, si hæc pleno jure capiat filius; quæ ratio sine dubio cessat in legitima, utpote quæ extraneo non debetur. Quam sententiam defendit post Boër. Svarez. Molin. Gutierrez, aliosque à se citatos Brunnem. *in Comment. ad auth. excipitur. C. de bon. motern. n. 6.* quibus adde Papon. *lib. 7. tit. 1. arrest. 5.* Perez. *in Cod. ad tit. de bon. qua liber. n. 5.* & hanc sententiam posteriorem textui magis convenire agnoscit ipse Berlich. qui maluit *Glossam* quam textum sequi. Unde & in foro eandem sequendam esse, omnino existimo.

De tacita
prohibitione

An autem tacita prohibitio usufr. hic admitti possit, & ex quibus verbis illa colligatur, de eo vid. Card. de Luca *Theatro verit. & Justit. tom. 3. Tr. 3. p. 1. de Servit. disc. 60. n. 2.* Paschalis *de Patr. potest. p. 1. cap. 3. n. 38.* Joh. Francisc. Andreolus *Controvers. 224. n. 3.* Joh. del Castillo *de usufruct. c. 3. n. 56. sqq.*

An adempto
usufructu et

§. XI. De eo etiam in foro disputari solet, an adempto hac ratione usufr. patri nihilominus competat ad

DE USUFRUCTU.

II

administratio horum bonorum adventitiorum, si forte filius ætatis defectu laboret? Decisum quidem hoc ab Imperatore est, quod testatori vel donatori administratorem constituere liceat *d. Nov. 117. cap. 1. §. 1.* qua dispositione deficiente judici defertur potestas curatorem constituendi *d. §. 1.* Sed hoc in controversia remanet, an nō huic curatori judiciali in administratione præferendus sit pater? Nihil quidem de eo disposuit Justinianus, qui facile prævidit, patrem adempto sibi usufr. onus administrationis sponte declinaturum. Interim si pater administrare velit, hunc admittendum esse puto, cum sufficiat quod à lege remotus non sit: Nec privatio usufr. continet privationem administrationis per *L. fin. C. de Curat. furios.* juncta *L. fin. §. 1. C. de bon. qua liber.* Aliud esset, si patri administrationem quoque ademisset testator, quod quin facere possit vi liberæ dispositionis de re sua, ob *L. 21. C. mand.* dubitandum non est. Et hanc sententiam usu fori probatam esse, testis est Hartm. Pistoris *lib. 4. qu. 11. n. 13.* Carpz. *p. 2. const. 10. def. 11.* Add. del Castillo *de usufructu cap. 3. n. 59. & 60.*

iam administratio tollatur,

§. XII. Alter casus quo jure novissimo pater usufr. in bonis adventitiis filii caret, occurrit *Nov. 118. cap. 2.* ubi si pater in successione filii cum aliis suis liberis sen de functi fratribus concurrant, hi portionem suam pleno jure capiunt, nullo patri reservato usufructu, *Auth. item hereditas C. de bonis qua liber.* Cujus ratio; quia olim pater à fratre excludi poterat, dum vero jure novo cum eo admittitur, sua portione acquiescere, & filio quoque suam relinquere debet integram. Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 16. th. 4. lit. B. in fin.* Sed an hoc in foro generaliter admittendum, ut omni casu, quo filius cum patre in successione concurrat, pater usufr. in

Cessat usufr. patris si in successione cum filio.

An hoc in foro generale sit?

B 2

por-

portione filii privetur, non conveniunt. Affirmativ. tuetur Richter p. 1. decis. 18. n. 10. Joh Francisc. Andreolus *Controv. forens.* 224. n. 9. Cardinal. de Luca cit. loc. disc. 61. n. 3. & disc. 62. Verum Novel. 118. cap. 2. ultra casum expressum non extendendam esse, & hinc patri cum filio in successione materna ex statuto concurrenti usumfr. saluum esse, probavit in *Tr. de Success. ab Intest. diff. 2. cap. 1. §. 26.* & quamvis *Auth. item hereditas C. d. t.* contrarium velit: Attamen dubitative ibi loquitur Irnerius, vel quisquis fuerit Autor, sicut ostendit particula *forsan*, hinc illam *Auth.* extra casum in *Novella 118. c. 2.* expressum, in praxi applausum non meruisse, usu fori fatis constare existimo. conf. Andreas Kohl *ad Constit. March. de Success. Conjug. qu. 14. n. 4.* quam sententiam prolixè defendit Vincent. de Franch. *decis. 651.* licet in fine addat, nihilominus Neapoli contrarium fuisse iudicatum.

Usufr. patris
morte filii
non tollitur.

§. XIII. Cæterum hic usufructus patri in bonis filii quæsitus morte filii non tollitur, quia non cohæret personæ proprietarii, sed usufructuarii, patris scil. Dn. Ketler *Decis. Ostfrisc. 15. n. 30.* Klock. *Tom. 3. Conf. 129. n. 35.* Kohl. *ad Const. March. 9. 14. n. 14.* Castillo *de usufr. c. 3, n. 44.* Quatenus tamen pater filio in proprietate succedit, eatenus sine dubio confusione tollitur *L. 27. ff. quib. mod. usufr. amitt. L. 4. ff. Usufructuarius quemadm. cav.* Si itaque decedente filio mille thaleros in bonis habente; pater & mater in successione æqualiter concurrant, matri quidem dimidia pars peculii, sc. quingenti thaleri assignantur, hujus portionis tamen fructus retinet pater quamdiu vivit, de quo dixit in *Tr. de Success. diff. 2. cap. 1. §. 13.* & idem quoque jure Saxonico obtinere testis est Carpz. *p. 3. const. 17. def. 1. n. 6.* Berlich. *P. 3. Concl. II. n. 64.* Kettler. *Decis. Ostfrisc. 15. n. 46. sq.* Emancipatione autem

tem usumfr. paternum tolli, in confesso apud omnes est, & quamvis hoc casu patri in præmiū emancipationis jure Justiniano relinquatur dimidia pars ususfr. pristini, *L. 6. §. 3. C. de bon. quæ liber.* hoc tamen usu fori non amplius obtinere, sed patrem liberos elocando, & separatam œconomiam ipsis concedendo, omnem usumfr. his relinquere debere, dictum est in *Us. M. sub tit. de Adopt. §. 26.* Add. Richter *p. 1. decis. 18. n. 17.* Berlich. *p. 2. decis. 160. n. 35.*

De emancipatione.

§. XIV. An vero & matri moribus hodiernis ususfr. in bonis liberorum ætate minorum competat, non consentiunt Dd. Sane matrem, quæ liberos adhuc alit, usumfructum ex bonis liberorum de jure Saxónico communi petere posse, existimat Richter. *p. 1. decis. 18.* quod & de matre, quæ ut Tutrix bona liberorum administrat, verum esse asserit Wesenb. *paratitl. ff. tit. de Tutel. n. 5.* Berlich. *p. 2. conclus. 12. n. 14.* Verum his contradicit Carpz. *p. 2. const. 10. def. 13.* quia nulla matris in liberos potestas, ex qua sola, non autem ex reverentia jus percipiendi ususfr. dependet, quæ sententia expresse confirmata est in Electoratu Saxonix per *decis. noviss. 62.* & ibi Philipp. *observ. 1.* Hoc certum est, matrem filios alentem ex usufr. tantum deducere posse, quantum ad alimenta necessarium. Usu tamen frequentissime evenit, ut quem de jure non habent matres in bonis liberorum usumfructum, ex dispositione parentis obtineant, si hic matri ususfr. omnium bonorum ad dies vitæ relinquat, de quo ex professo egit Borgnin. *Cavalc. de Usufr. mulieri relicto.* & hac de re dicendi locus erit in *tit. de Usu & Usufr. legato.*

De usufructu materno.

§. XV. Cum autem consuetudo legis vim habeat *L. 32. ff. de LL.* merito etiam moribus nostris ad

De usufructu mariti in paraphernalibus.

legitimum usumfr. referendus est ille, qui marito competit in bonis uxoris suæ paraphernalibus. Jure civili enim dotis fructus ad maritum pertinet, ut inde ferat onera matrimonii, *L. pro oneribus 20. C. de jur. dot.* & hoc quidem non jure usumfr. sed vi domini dotalis *L. 7. §. 3. ff. de jure dot. L. 30. C. eod.* non vero illorum, quæ præter dotem intulit uxor, & paraphernalium nomine veniunt. Si enim ex his fructus perceperit maritus, ad illorum restitutionem omnino obligatur, in quo omnes *Dd. convenire dicit August. Berous Vol. 1. consil. 44. n. 14. Pruckmann. Vol. 2. consil. 1. n. 476.* nisi uxor expresso pacto etiam in his bonis usumfr. marito reliquerit, *arg. L. 8. C. de pact. convent.* Sed moribus Saxonis hic usumfr. paraphernalium ipso jure citra ullam conventionem marito debetur, *Rauchbar. lib. 1. qu. 47. n. 32. Carpz. p. 2. const. 15. def. 25.* unde administrationem paraphernalium marito non denegabit uxor, *per text. in Land-Recht/ lib. 1. Art. 31. verb. Wann ein Mann ein Weib nimt / so nimt Er sie in sein Gewehr / uud all ihr Guth /* nisi de dissipatione suspectus sit maritus, quo casu uti dotem repetere potest constante matrimonio, *L. 29. C. de jure dot. ita & paraphernalia, vid. Carpz. p. 2. Const. 10. def. 9.* Interim tamen nec jure Saxonico deneganda est uxori facultas bona quædam ab hoc usumfr. eximendi, & suo arbitrio reservandi, modo id faciat ante nuptias, ubi marito nondum jus quæsitum; vel post nuptias, marito consentiente. *Conf. Carpz. p. 3. const. 25. def. 13.* Hunc enim huic ususfructui renunciare posse, eo minus dubii habet, quo certius est, etiam patrem usumfr. in bonis maternis filio remittere posse *L. 6. §. 2. vers. Sin autem C. de bon. qua lib. Carpz. P. 2. c. 10. d. 12. Berlich. P. 2. Dec. 168. n. 7.* Si vero expressum pactum deficiat, & maritus tantum

De jure Saxo
nico.

De recepti-
tiis.

tum patiatur uxorem suis bonis uti frui, non eo ipso bona fient receptitia, ut fructus retineat uxor, sed hos restituere tenetur marito aut ejus heredibus, Carpz. p. 3. const. 25. def. 6.

§. XVI, Reliqua quæ in hoc titulo quoad onera & commoda usufructuarii proposita, hodie pariter ita se habere, nec quicquam in foro mutatum esse, certum est, unde cum hæc in jure liquido consistant, operæ pretium non erit, illis immorari.

usu fori in reliquis punctis.

TIT. II.

De

USUFRUCTU ACCRESCENDO.

§. I.

Usufructu pluribus legato, si unus illorum deficiat alteri jus accrescendi competere constat ex *L. 1. pr. ff. b. t.* quod tamen ad usumfructum inter vivos constitutum, nec hodie extendendum esse censeo. Hinc si pluribus promissus sit usufr. uno deficiente, alter partem suam tantum capit, arg. *L. 110. pr. ff. de V. O.* & in specie de usufr. à duobus stipulato, textus est in *L. 15. ff. de duob. Reis*, cessat enim in actibus inter vivos jus accrescendi, Hilliger. in *Donell. lib. 10. cap. 20. lit. A.* Carpz. p. 3. const. 2. def. 16. nisi speciali pacto hoc indultum sit, quod pactum sine dubio hodie valet. Besold. *consil. Thubing. 221. n. 56.* Quamvis autem omne jus accrescendi hodie sublatum velit Grænw. ad §. 5. *Inst. de hered. instit. n. 3. & 4.* quo ipso simul præsentis tituli usus penitus evanesceret: Ast divortium hoc ususforensis à jure Civili in Germania non agnoscimus, ubi jus accrescendi in viri observantia

usufr. inter vivos constitutus non accrescit.

tia esse non tantum in Saxonia, uti constat ex præjudiciis add. à Carpz. *p. 3. const. 2. def. 14.* sed & alibi in Imperio, quod multorum locorum statutis in hunc finem adductis probavit Giesebert. *in Justin. Harmon. ad §. 8. Inst. de Legat. n. 324.*

De jure non
decrescendi

§ II. Cum vero omne jus accrescendi supponat conjunctionem personarum; hæc vero vel verbis tantum, vel re tantum, vel etiam mixtim re & verbis simul contingat, frustraneum quidem erit, quoad usum fori inquisivisse, an re tantum conjunctis jus accrescendi, an jus non decrescendi competat; inter hæc enim in effectu plane nihil interest, sed otiose hæc in cathedra disputari constat ex Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 13. tb. 3. lit. A.* Hilliger. *in Donell. lib. 7. cap. 13. lit. I.* & tantos huc usque viros in putida illa logomachia tempore terere potuisse, miratur Valent. Riemer. *de Jure Accresc. cap. 13. n. 3.* De his vero controvertitur, an verbis tantum conjunctis Jus accrescendi concedendum, cum his partes assignaverit testator, ut sic à solidi petitione exclusisse videatur legatarios; & hinc negativæ sententiæ subscribit Ant. Faber. *de Error. Pragmat. dec. 49. Error 3. & 4.* Verum cum hi revera quoque conjuncti sint per *L. 142. ff. de V. S.* & evidens textus adsit in *L. 89. ff. de Legat. 3.* nec expressio partium, utpote, quæ ommissa tacite subintelligitur, aliam voluntatem testatoris inducat, utpote, qui utrumque legatum acceptaturum fore, confidebat, verissima est sententia, quæ & his conjunctis jus accrescendi indulget. Valent. Riemer. *de jure Accresc. cap. 13. n. 5.* modo ab uno, & non à diversis heredibus legatum relictum sit *L. per & ult. ff. h. t.* Et hanc sententiam, quod omnibus conjunctis, etiam verbis tantum, usu fori jus accrescendi competat, adstruunt Berlich. *P. 2. Dec. 285. n. 15.* Carpz. *P. 2.*

De verbis
tantum con-
junctis.

P. 2. Decif. 134. n. 9. Hahn, ad Wesenbec. b. t. Valent. Riemer
d. cap. 13. p. 5. ubi communem hanc sententiam dicunt.

Dn. Schilt. Exercit. 15. ad ff. th. 58.

§. III. Hæc duo singularia sunt in usufr. accre- Singularia
in usufr. ac-
crescendo.
scendo, quod etiam pars acquisita, si iterum amittatur,
non veniat ad dominum proprietatis, sed ad collegata-
rium L. 1. §. 3. b. t. cum tamen alias, si legatum ab utroq;
acceptatum fuerit, juri accrescendi amplius locus non
fit, Franzk. in Comment. ad b. t. n. 17. Usufr. enim per sin-
gulos dies videtur legatus, & sic quotidie aliquid adest,
quod adhuc acquirendum. Deinde si collegatarius
usufructus partem semel amiserit, portio tamen alte-
rius deficientis ipsi nihilominus accrescit; quippe usus-
fructus personæ accrescit, non rei, per L. 10. ff. b. t. Hillig.
in Donell. lib. 10. cap. 23. lit. C. Verum quomodo hic casus De praxi.
in praxi contingere valeat, dubium est. Sane Dn. Brun-
nem. ad L. 10. b. t. obscuriorem hanc Legem & spinosio-
rem, hincque in foro parum utilem, dicit. Puto obscu-
ritatem in casu Legis latitare, non in ejus decisione.
Quapropter facti speciem aliter si concipiam, appare-
bit, usum hujus legis in foro manifestum esse. Javole-
nus Titio & Mevio legavit usufructum fundi Tuscu-
lani, uterque eundem acceptat, & sic concursu partes
faciunt: Titius utendo re contra legem conventio-
nis, usufructu privatur, & sic eo amisso, pars hæc ac-
crescit Mevio. Post Mevius non utendo vel capitis di-
minutione pariter usufructu excidit, quæritur, quis po-
tior sit, an proprietarius, an collegatarius sive Titius?
Resp. Titius, quia ut parte sua exciderit, jure tamen
accrescendi ita recipiet? Sed quantum ita accipiet Ti-
tius? Resp. non integrum usufr. quia parte antea
juste privatus, sed dimidiam tantum partem, quæ Me-
vio

C

vio

vio ab initio competebat; Titii pars vero semel amissa, ad proprietarium redit. Conf. Joh. Sæv. *de Jure accresc. libi. c. 4.*

TIT. III.

QUANDO DIES LEGATI USUSFRUCTUS CEDAT.

§. I.

Cur ab adita
hereditate
cedat?

Cui debeantur
fructus
inter im per-
cepti?

Legatorum diem à tempore mortis cedere, certi juris est. *L.un. §. 6. C. de caduc. tollend. L. 80. ff. de Legat. 2.* Ususfructus autem legati dies non cedit, nisi ab adita hereditate, per *L.un. §. 2. b. t.* cujus ratio, partim quod ab herede constituendus *L. 3. ff. de Usufr.* partim quod hic cesset ratio cæterorum legatorum, ne transmissio ad heredes impediatur, cum ususfructus sui natura, morte legatarii exspiret. Meier *in Colleg. Argent. b. t. §. 1. in fin.* quæ usu fori aliter se habere non existimo. Quid ergo dicendum, si casus in foro occurreret, ubi pure legatus ususfructus, sed hereditas demum post aliquot annos adita, an fructus interea percepti ad legatarium, an ad heredem pertineant? Et posterius affirmandum; nam ubi nulla petitio fructuum est, ibi quoque nondum præstandi; jam vero ante aditam hereditatem nulla actio de usufructu competit *L. 1. §. fin. b. t.* Verum cum hac ratione in præjudicium usufructuarii aditionem per aliquot annos differre possit heres, hujus vero mora legatario nocere non debeat, merito à tempore moræ, non à tempore aditionis præstandi erunt fructus; tenetur enim heres quanti legatarii interfit, moram factam non esse *L. 26. §. ult. & L. 37. ff. de usufr. Cujac. lib. 23. observ. 10. in fin.*

§. II. Si ususfructus ex die legatus fuerit, eundem

dem non nisi de elapso cedere, expeditum est. *L. un. §. 3. ff. b. t.* sed dum postea in §. 4. ex Scævolaë sententia sub-
 jicitur: *agentem ante diem ususfructus, nihil facere; quam-
 vis alias, qui ante diem agit, male agat, an hoc usu fori at-
 tendatur; seu in foro quid intersit, nulliter agere, vel
 male agere?* dispiciendum. Ratio autem, ad quam re-
 spexit Scævola, sine dubio hæc est: quod ante diem ce-
 dentem nulla actio ad petendum usumfructum compe-
 tat; hinc si nihilominus de facto instituatur, nihil agi-
 tur: Secus si aliud debitum in diem ante diem petat;
 quia hic jam cessit dies, licet actio, nisi postquam vene-
 rit, exceptione elidi possit. Hic ergo male agit, dum
 plus tempore petit, & hinc vel jure veteri causa cadebat
§. si quis agens 33. I. de act. vel jure novo duplicatum tem-
 pus indulgere tenebatur debitori, *§. 10. I. de Except.* Hoc
 supposito, etiam in foro melius erit, nulliter agere, quã
 male agere, nisi pœnam plus petentium in foro subla-
 tam dixeris, quod tamen generaliter non admitto. Hoc
 in foro certum esse puto, sive quis male, sive nulliter
 egerit, utrobique in expensas condemnandum esse, *arg.
 L. 79. ff. de Judic.*

TITULUS IV.

QUIBUS MODIS USUSFRU-
 CTUS AMITTITUR.

§ I.

Usumfructum constitui vel à lege, vel ab homine ^{ususfructus}
 supra dictum est. Ususfr. legalis præcipua species ^{paternus}
 est patris in bonis adventitiis liberorum, quem hodie ^{quando ex-}
 per emancipationem seu elocationem & separatam œ- ^{spires?}
 conomiam penitus tolli, dictum est *Tit. 1. §. XIII.* Sed cum

jure nostro præter emancipationem alii modi dentur, tollendi patriam potestatem, (e.g. si ad illam dignitatem perveniat, quæ à Decurionatu liberat, cujus species enarrantur in *L. fin. C. de decur.* quo casu sui juris efficitur filius *Novell. 81. c. 1.*) quæritur, an ad epta tali dignitate exspiret ususfructus paternus, quem antea in bonis adventitiis habebat? quod nego; Pater enim ususfructu semel quæsito gaudet ad dies vitæ suæ *L. pen. C. de bon. matern. L. 8. §. 5. vers. filiis autem C. de bon. qua liber.* Dn. Engelbert. Kettler *Decis. Ost. frisc. Cent. 1. Dec. 16.* vid. *supra tit. de Usufr. §. 13.* Exceptio erat in casu emancipationis à patre factæ, cui pro præmio emancipationis (invitus enim ad hanc compelli non poterat. *§. fin. l. quib. mod. patr. pot. toll.*) loco tertiaræ proprietatis dimidia ususfructus assignata *L. 6 §. 3. C. de bon. qua lib.* Sed ubi lex patriam potestatem solvit, ob dignitatem collatam, nullibi ususfructu patrem privandum esse, cautum est; nam regulariter ille per mutationem in persona proprietarii contingentem non finitur, sed personæ usufructuarii cohæret, *Molina de J. d. J. Tr. 2. D. 262. n. 7.* Salvus ergo adhuc erit, non obstante dignitate filii. Ar. *Pinell. ad L. 1. C. de bon. mat. P. 1. n. 42.* Sed quid hodie? Idem puto, nisi ad dignitatem, prout ordinarie fieri solet, separata œconomia accesserit. hæc enim cum pro emancipatione sit, omnia bona filio plene restituenda.

De usufr. patris in successione filii.

§. II. Cæterum quod dixi, ex mutatione in persona filii contingente, non extingvi usumfructum paternum, hujus occasione singulare dubium resultat ex jure novissimo in *Nov. 118. c. 2.* ubi pater in successione filii cum fratribus concurrens, in portione illa, quæ fratribus defuncti obvenit, nullum usumfructum consequitur. Quod si ergo filius defunctus non nisi bona mater-

ter-

terna habuerit, in quibus patri, vivo filio, jam quæsitus erat usufructus, an filio decedente, in portione fratribus obveniente, illum amittet Pater? Ita videtur, per *d. Novell.* sed si pater cum matre in successione hujus filii concurreret, patrem integrum usumfructum etiam in parte matris retinere, ex Carpzovio, Richtero, Bachovio aliisque probavit in *Tr. de success. Dissert. 2. c. 1. §. 13.* Cur non ergo idem in portione fratris, juxta *L. 7. §. fin. C. ad SC. Tertull.* Quare dicendum, *d. Nov. 118. c. 2.* quantum ad denegationem usufructus, pertinere ad casum filii emancipati decedentis, ubi vivo filio nihil ex usufructu supererat Patri: Si autem filiusfam decedat, Pater in bonis adventitiis salvum retinebit usumfructum, ad quemcunque etiam illa pervenerint. Conf. Dn. Brunnem. *ad d. L. 7. in fin. C. ad SC. Tertull.*

§. III. Progredior jam ad alios modos finiendi De morte.
usumfr. qui etiam usufructui paterno applicari possunt.

Et quidem morte naturali omnem usumfr. tolli, in jure nostro pariter & in foro expeditum est. Dubium tan-

tum facescit, an si ususfr. pro se & heredibus concessus, Quid si & hæ-
redibus sit
concessus?
ille hodie ad omnes heredes transmittatur, an cum primi gradus herede finiatur, prout hoc dispositum est in

L. Antiquitas 14. C. de Usufr. si scil. communis legis intellectus retineatur cum Franzkio *ad ff. b. l. n. 11.* Et puto, non aliter hoc in foro decidendum esse, cum & hodie

ratio *d. L. 14.* stringat, *quod usufructus ita nunquam rediret ad suam proprietatem;* & sine dubio constituens usumfructum, hoc secundum Juris dispositionem explicandum voluit. Ast quid si expresse dicat constituens, se

Titio omnibusque ejusdem successoribus & heredibus Quid si o-
mnibus here-
dibus?
Usumfructum relinquere velle? Subsistere puto, si dixerint, *omnibus descendantibus*, nam hic spes est, rediturum

esse usumfructum ad proprietatem. Aliud, si dixerit, *omnibus heredibus*, quo casu, cum & testamentarii comprehendantur, nunquam sperandus est reditus. Sed quid si tamen & hoc velit constituens, numne pari jure sustinebitur, quo feudum francum hereditarium? Diverfitatem utriusque jam demonstravi *supra Tit. de Usufr. §. 4.* Hoc adhuc addo: cum hodie tanta pactorum sit efficacia, ut quamvis naturæ negotii adversari videantur, propria tamen vi sustineantur, si nihil bonis moribus contrarium contineant, nihil obstare, quamobrem exceptione pacti se tueri nequeant heredes in universum omnes. Et tandem dico: Remanent alii usumfructum finiendi modi, licet morte heredum non tollatur. E. G. Capitis diminutione, non usu, vel male utendo, ut hinc non omnis revertendi spes decollet.

De morte civili.

§. IV. Morte civili seu capitis deminutione maxima & media tolli usumfr. jure nostro expeditum est *L. pen. C. de Usufr. & L. 63. in fin. ff. pro socio.* Et quamvis in foro nostro maximæ capitis diminutionis vix datur exemplum, & deportatio quoque ab usu recesserit, & hinc hanc ususfr. amissionem non admittat Groenwegen, *de LL. abrogat. ad L. 1. h. t.* bannum tamen superest, & fustigatio, ut & condemnatio ad operas publicas quibus jura civitatis amitti probatum est *supra lib. 4. tit. 5. §. 7. & seqq.* ut hinc his modis etiam usumfr. amitti nullus dubitem, sicuti hoc de patre bannito usumfr. amittente asserit Baro ab Enekel *Tr. de privileg. Parent. privileg. 4. cap. fin. n. 7.* Stamm. *de Servitut. personal. lib. 1. tit. 3. cap. 4. n. 7.* Et quamvis hoc ad bannum Imperiale restringant, in banno autem provinciali usumfr. patri salvum manere existiment, Stamm. *d. tit. 3. cap. 2. n. 33* Carpz. *pr. Crim. qu. 130. n. 52.* Attamen quatenus ususfructus

De banno provinciali.

ctus

DE USUFRUCTU.

23

Etus in territorio bannientis percipitur, eundem amitti verius est, per tradita *ad Tit de Capit. minutis §. 2.* Hoc pariter certum, bannito filio, patrem usumfructum antea quæsitum non amittere, *Gail. de Pac. Publ. lib. 2. c. 13. n. 37.* *Manz. Decis. Palat. 80. n. 7. sq.*

§. V. Porro usumfr. interitu rei amitti, expeditum est, ex *L. 53. ff. de Usufr.* adeo ut nec restitutis æditus restituatur *L. 10. §. 7. b. t.* Alia vero ratio est Usufr. paterni, qui cum ad universitatem bonorum adventitiorum se extendat, certæ rei interitu perire nequit; Domus enim combusta, & ex aliis bonis filii adventitiis restituta, pariter adventitia erit, & sic semper usufr. durante potestate redintegrabitur, *Enenckel d. privileg. 4. Cap. fin. n. 29.* *Garcias de Expensis cap. 11. n. 24.* quod juri nostro non refragatur, ubi pariter inter usumfr. univerforum bonorum & rerum singularium differentia illa ratione rei peremptæ, sed restitutæ, inculcatur *L. 34. §. 2. ff. de Usufr.*

De interitu rei.

§. VI Ulterius male utendo usumfr. finiri constat ex *§. 3. de Usufr. & L. 10. ff. b. t.* In quo puncto patrem non melioris conditionis esse puto, nam & hic licet per naturam pater sit, de facto tamen sæpius existit vitricus. Hinc si bonis filii male utatur, illa corrumpendo, alienando & dissipando, ipsum usumfr. amittere & hunc ad filium redire, recte asserunt *Dd. Enenckel d. privileg. 4. cap. fin. n. 25.* *Martin Mager. de advocatia armat. cap. 16. n. 64. & seqq.* Solet tamen quandoque patri curator adjungitur, ne administratione penitus adempta, debita lædatur reverentia.

De abusu.

§. VII. Circa fructus in casum finiti ususfructus ad heredes transmittendos hoc jure Saxonico singulare est, quod non respiciatur ad perceptionem, sicuti quidem

De transmissione fructuum ad heredes.

dem fit de jure Civili per *L. 13. b. t. L. 8. ff. de ann. legat.* sed solius curæ ratio habeatur, an ager satus & rastro subactus fuerit, tunc enim pro labore, mercedis loco, fructus industriales lucratur, eosque mox ad heredes transmittit *Carpz. p. 1. const. 5. def. 21. n. 4. Berlich. p. 3. Conclus. 43. n. 55. Hartmann Pistorius p. 1. qu. 24. n. 74.* quod idem quoque in fructibus feudi obtinet in Saxonia *Carpz. p. 3. const. 32. def. 3. ubi in def. 4.* hoc quoque ad viduam dotalitio fruentem applicat. Extra Saxoniam vero maturis licet fructibus decedens vidua, nihil ex his ad heredes transmittit. Myler ab Ehrenbach. *Gamolog. Princ. cap. 14. §. 15.* Add. Henel. *de dotalit. cap. 11.* Jure tamen Prutenico jus Saxonicum hoc passu expresse approbatum *7. Prut. Lib. 3. Tit. 3. §. 10. & 11.* Quid vero circa fructus pendentes feudi aliorum locorum praxi obtineat, dixit in *Exam. Juris Feud. cap. 15. qu. 14.*

§. IX. Sicuti autem usufructuarius ipsum jus usufructus alteri cedendo nihil agit, sed illum potius amittit, si in totum se hoc jure abdicare voluerit *L. 66. ff. de jur. dot.* Franzk. *ad ff. b. t. n. 8.* commoditatem autem alteri cedere non prohibetur, ut scil. & hæc cum jure cedentis intereat, per *L. 38. ff. de Usufr.* ita quoque idem in foro obtinere puto, non tantum in usufr. ordinario, sed etiam in dotalitio viduæ nobilis, quod scil. hæc dotalitio semel abdicando illud quidem amittat, discedere tamen inde, & hoc alii cedere vel locare sine dubio possit; verum ita, ut vidua decedente etiam illa locatio exspiret, *Berlich. p. 2. Concl. 50. n. 66. Carpz. p. 2. Const. 42. def. 9.* Imo & in jure retentionis viduæ in bonis defuncti mariti competente, idem juris esse censet *Carpz. p. 2. Const. 25. def. 16.*

TIT. V.

TITULUS V.

De

USUFRUCTU EARUM RE-
RUM, QUÆ USU CONSUMUNTUR.

§. I.

Usumfructum verum in ejusmodi rebus constitui, De quasi usu-
quæ utendo non consumuntur, vulgo notum est. fructu.
Ne autem aliorum rerum fungibilium domini illa po-
testate priventur, res suas, quas in alterum plene trans-
latas nolunt, usufructuario jure transferre, hic vero pe-
riculum proprietatis concurrat, ne re consumpta, ina-
nis proprietario reddatur actio, Senatus mediante cau-
tione succurrendum censuit, ut hac ratione, consumpta
re, in effectu conservetur proprietas, & ita, remedio
cautionis introducto, cepit *quasi usufructus* haberi *L. 2.
in fin. ff. h. t.* Quam usufructus constituendi rationem
hodie adhuc obtinere, extra dubium esse puto: Hinc
eveniente casu, secundum jura hoc titulo proposita
pronunciandum.

§. II. Præcipue autem se exerit in foro hæc ma- De uxore
teria, si maritus uxorem omnium bonorum usufructu- u usufructua-
ariam constituat, quo casu & illa continentur, quæ usu ria omnium
consumuntur, arg. *L. usufructu legato 7. & L. d. functa 58.* bonorum
ff. de usufr. Carpz. p. 3. C. 13. d. 5. quapropter uxori usu-
fructuariæ incumbit, non tantum res illas fungibiles
cum aliis in inventarium redigere, sed cautionem de ea-
dem quantitate & qualitate rerum finito usufructu re-
stituenda, præstare. Borgnin. Cavalcan. *Tr. de usufruct.*
Mul. relict. n. 142. Carpz. d. Const. 13. d. 13. Rauchbar. P. 1. q. 30.
Hinc ejusmodi usufructus generatim concessus, non

D

re-

restringendus est ad res illas, quæ proprium admittunt usumfructum, sed pro diversitate rerum in bonis constituentis deprehensarum, etiam quasi ususfructus continebitur. Cujus rei effectus consistit in facultate alienandi, quam sibi in rebus consumptibilibus recte vindicat usufructuaria, ob dominium per quasi usumfructum translatum *L. 7. ff. b. t.* ex quo libertas utendi & abutendi nascitur *L. 5. §. 1. & 2. ff. sc.* Hinc & uxor, si res illæ fungibiles casu fortuito perierint, ad illarum restitutionem obligabitur, cum eatenus non speciem, sed quantitatem debeat, quæ casu fortuito non perit. *L. incendiurna n. C. Si cert. pet.*

De marito
usufructua-
rio.

§. III. Verum cum è contrario Saxoniae aliarumque quarundam provinciarum moribus maritus sit usufructuarius omnium uxoris paraphernalium; (in dote enim domini jure gaudet *L. 30. C. de jur. dot.*) dubium equidem non erit, & hic latitare quasi usumfructum, quatenus res fungibiles illatæ: Attamen an maritus eo nomine ad cautionem præstandam obligetur, hic prætereundum non est? Sane hic argumentum pro negativa sententia deducunt, ex *tit. C. ne fidejuss. dot. dent.* ubi cum dotis nomine non exigatur cautio, idem & de paraphernalibus verum esse asserunt; cui accedit, quod jure tacitæ hypothecæ satis munita sit uxor, quam ex provisione legis in mariti bonis habet *L. fin. C. de pact. convent. & L. 12. C. qui pot. in pign.* Verum cum remissio hæc cautionis nullo nec Romani nec Saxonici juris textu sit fundata; quod enim aliqui asserunt, maritum uxori suæ satisfacere non debere, *Carpz. P. 2. C. 10. d. 9. n. 6. Richter. Decis. 29. n. 12.* hoc de illa cautione tantum intelligendum, ad quam Tutor vel Curator obligatur, de hac enim textus ex jure Saxonico allegati tantum

lo-

loquuntur; Cautionis autem usufructuariæ dispar ratio est: Accedit quod à dote ad paraphernalia non valeat argumentum, dum ibi dominium, hic nudus usufructus transfertur; hinc non dubito, si maritus bonis ad securitatem uxoris sufficientibus sit destitutus, hanc cautionem ab ipso exigere posse. In eo conveniunt, quod si maritus bona sua prodigere incipiat, uxor cautionem exigere, aut paraphernalia repetere possit, nam & hoc in dote permissum *L. 29. C. de jur. dot.* hinc & sequestratio paraphernalium sibi locum vindicaret, si administrationi uxoris hæc restituere consultum non sit; quod idem quoque de patre usufructuario asserit *Carpz. P. 2. C. 10. d. 9. n. 10.* quod non admitto, quia hunc in specie jus nostrum à cautione usufructuaria liberat. *L. Cum oportet 6. §. non autem 2. L. ult. §. 4. C. de bon. qua lib. Conf. Rauchbar P. 1. Q. 30. n. 24. Modest. Pist. P. 1. q. 33. n. 5.*

§. IV. De remissione cautionis in quasi usufructu De remissione cautionis.
varie disceptant. Negativa illis placet, qui cautionem hanc de substantia quasi usufructus esse asserunt, utpote cum SCto introducta sit *L. 2. in fin. ibi; sed remedio introducto coepit quasi usufructus haberi ff. h. t.* Quicquid enim Lex exigit, de substantia negotii reputatur. *Hilliger in Donell. l. 10. cap. 4. lit. E. Gailius lib. 2. obs. 46. n. 3.* Verum si intentio hujus cautionis attendatur, illam non ad constituendum usumfructum, sed ad conservandam proprietatem seu recuperandum pretium in casum finiti usufructus pertinere, in propatulo est. Unde si testator fiduciam conceperit de usufructuario, & ea propter illum cautione gravare nolit, non video, quare sustineri non debeat hic quasi usufructus, *Ludvvell. Comment. Instit. §. 2. h. t. n. 2. Vinnius ad eund. §. n. 4.* Multo minus dubito, si inter vivos hujus generis usufructus Pacto fieri potest.

constitueretur, pacto hanc cautionem remitti posse, etiamsi de substantia hæc foret; sine dubio enim in favore proprietarii introducta hæc cautio est, cui renunciare poterit, non obstante legis provisione; Insuper etiam, cum contraria pactio jure non improbetur, & moribus hodiernis pacta per se efficaciam habeant, si nihil turpitudinis contineant, procul dubio in foro nostro sustinebitur cautionis remissio.

De' differen-
tia quasi usus-
fr. & mutui.

§. V. Sed dubium ita remanet, si inter vivos hac ratione constituatur usufructus, an non in effectu degeneret in mutuum? Ita existimat Carpz. *lib. 6. Resp. 51. n. 23.* usumfructum rerum fungibilium continere mutuum; cui adstipulantur omnes illi, qui existimant, quasi usumfructum inter vivos constitui non posse, Ungepauer *exerc. Just. 6. qu. 9.* Ludwell. *ad §. 2. I. de usufr. n. 3.* Et sane, si citra præjudicium quis rem hanc consideret, mutuum quoque sine usuris ad dies vitæ, vel diminuti capitis pacto concedi posse, haut facile negaverit; quo ipso corruent illæ differentiæ, quas inter mutuum & quasi usufructum sic constituunt, de quibus vid. Wissenbach *ad ff. Vol. 1. D. 19. th. 23.* Verum quia moris hucusque non fuit, mutuum sub illa determinatione concedere, sed si casus ille eveniat, plerumque his verbis utimur: daß Er die Nutzung von meinen ausstehenden Capitalien, oder von 2000 Thalern haben soll; inde jam resultat quæstio, quid referat, an mutuum sit, an usufructus? Cujus rei divarsissimus mox se sistit effectus: Si mutuum dixeris, cautione nulla opus erit, quæ tamen præstanda in usufructu §. 21. b. t. Deinde in mutuo revocationi obnoxia fors erit, quandocunque libuerit; nullo enim tempore adjecto, Creditori liberum est, quando sortem revocare velit. Quod si vero
usum-

usumfructum dixeris, cessabit revocatio, nisi morte vel capitis diminutione finito usufructu, *L. fin. ff. b. t.* & ita intelligendi sunt, qui constitutionem quasi usufructus etiam inter vivos admittunt, Bachov. ad Treutl. *Vol. i. D. 16. th. 2. lit. k.* Meier Colleg. *Argentor. h. l. th. 2.* Et clarior adhuc diversitas erit, si aliæ res fungibiles ita concessæ; quo casu, si mutuum adesset, ejusdem generis & bonitatis res restituendæ: si usufructus, pretium, seu æstimationem restituere sufficit *L. 6. § 7. ff. b. t.* Hillig. *in Donell. lib. 10. c. 4. lit. d.*

§. VI. Hac autem occasione non prætereundum est, cujus temporis æstimatio attendenda sit, finito quasi usufructu? Et verissima omnino sententia est, tempus constituti non finiti usufructus observandum esse: In omni enim negotio ad initium contractus respiciendum; & tantum ex proprietate bonorum in usufructuarium transfert Dominus, quanti tunc res illa vendi potuisset. Vultej. *ad §. 2. l. de usufruct. n. 5.* Gail. *lib. 2. obs. 46. n. 4.* Imo cum cautio in hoc usufructu præstanda veniat, ille sine dnbio ad æstimationem rerum illius temporis determinanda, cum futuri decrementi nulla certitudo sit: Existimat quidem Gailius *d. obs. 46. n. 4.* illud scil. quod æstimatio temporis constituti usufructus attendenda, in multis locis consuetudine non observari, sed tempus restitutionis attendi. Sed rectissime monet Bernhard. Græveus *ad Gail. d. obs. 46. consid. 1. n. 3.* Gailium ibi non loqui, de usufructu rerum fungibilium, seu quæ usu consumuntur, sed illarum rerum quæ usu minuuntur, quas omnino in illa bonitate restituere sufficit, quam habent tempore restitutionis, modo non culposa deterioratio ostendi posset.

§. VII. Circa modum cautionis in foro contro-
An cautio ver-

pignoratitia
admittatur?

verti constat, an non usufructuarius hanc pignoribus præstare possit? Hoc certum est, Prætozem in generali cautione usufructaria satisfactionem exigere *L. 5. §. 1. & L. 7. pr. ff. usufruct. quemadm. cau.* quo ipso fidejussoriam innui expeditum est. *L. 1. ff. qui satisd. cog.* sed cum illa cautio; quæ in quasi usufructu præstanda, prætoriam non sit, sed civilis, utpote SCto introducta, *L. 2. ff. b. t.* hoc vero non satisfactionem, sed cautionem simpliciter exigat, hinc aliqui nudam promissionem hic sufficere censent, arg. *L. sancimus. 3. C. d. V. S.* Ast cum parum securitatis inde haberet proprietarius, si nudæ promissioni fidem adhibere teneretur, merito & hic sub cautione satisfactionem intelligendam esse censeo; unde & satisfactionis mentio fit in *L. 8. ff. b. t.* pignora ergo hic jure civili non admissa fuisse, verius est; sicut & idem jure novo adhuc asserit, post *Gæddæum de contrah. stipul. c. 5. n. 287.* Ludwel, ad *§. 2. Inst. de usufructu n. 2. in fin.* Sed in foro hoc casu cautionem pignoratitiam locum habere eo minus dubium esse puto, cum hic certa quantitas sit in obligatione, ubi pignoratitia cautio plus securitatis præstat, quam satisfactio fidejussoria; hinc illam hodie in foro receptam esse, demonstratur et supra ad *Tit. qui satisd. cog. §. 8.* & in specie quoad cautionem usufructuariam hoc admittit Gail. *Lib. 2. obs. 47. n. 4. Wesenbec. b. t. n. 3. & ibi Hahn. in notis Manz. ad b. Tit. n. 49.*

Ufus fori.

De contra-
ctu socida.

§. VIII. Tandem ad hunc titulum referri poterit *contractus socida.* moribus introductus; quando usufructus animalium altari pro levi quadam pensione conceditur, sed sub hac lege, ut periculum in se recipiat. Qui contractus in eo ab usufructu gregis differt; quod hic usufructuarius ex fœtu tantum substituere teneatur oves, *L. 68. §. ult. & L. 69. ff. de usufr.*
quod

SI USUFR. PETAT.

31

quod si autem foetus nullus natus fuerit, aliunde oves ad gregem supplendum comparare non teneatur. Carpz. p. 2. Const. 26. def. 9. Sed in contractu Socidæ, etiam si omnes perierint oves, aliunde tamen tot iterum comparandæ, quot ab initio adfuerunt, & eapropter appellantur *Eiserne Schaffe* / de quo pluribus videatur Dn. Tabor *in tract. de contractu socidæ*. In eo tamen ad quasi usufructum accedit, quod hic regulariter exigatur cautio, & dominium rei usufructuariæ transferatur; licet objecto differant, cum animalia ad res fungibiles non spectent, & inde gregis verus usufructus sit: fateor tamen, contractus socidæ certam indolem non esse, sed hanc pro diversitate pactorum differre; unde & in describendo illo contractu variant Dd. & quod nos antea de pensione levi præstanda diximus, illius loco substituant partem fructuum, præstandam ab illo, cui pecoris usufructus concessus; sed res in effectu eodem reddit, & cuius domino liberum est, rei suæ commodum alteri vel restrictius vel laxius concedere, & vel pensionem, vel partem fructuum sibi stipulari, periculum vero in alterum vel ex asse, vel pro parte transferre. Ex quo simul apparet, quid cum colono partiario usufructuarius ille commune habeat, vel non.

TIT. VI.

SI USUFRUCTUS PETATUR, VEL AD ALIUM PERTINERE NEGATUR.

Actionis confessoria & negatoria usus cum in foro amplissimus sit, & non tantum in materia usufructus aliarumque servitutum, sed & pro omnibus aliis

Actio negatoria & confessoria.

ju.

juribus vindicandis locum sibi vindicent, plenior agitur
in *Lib. VIII. ff. A.*

TIT. VII.

DE OPERIS SERVORVM.

§. I.

Operæ pro-
priorum ho-
minum cedi
possunt.

Sublata servitute hanc quoque materiam ab usu fori
recessisse videri poterat. Verum cum priorum
hominum usus hodie in variis Germaniæ locis superfit,
quos quidem servos non esse, proxime tamen his acce-
dere, evictum est supra *Tit. de stat. hom. §. 5. sqq.* nullum
supereft dubium, priorum quoque hominum ope-
ras alias legari, vel cedi posse, cum hac ratione eorum
conditio non reddatur deterior, *Husan. de homin. propr*
c. 6. n. 4. Joh. Hermann. Stamm. de Servit. personal. lib. 3.
c. 21. n. 2.

De Operis
rusticorum.

§. II. Quod operas illorum rusticorum; qui pro-
prij homines non sunt, attinet, distingvi illæ solent in
determinatas & indeterminatas, *gemeßene und unge-
meßene Dienste.* Illæ nec extendi nec mutari à domino
possunt, sed prout hæcenus præstitæ, ita impofterum
quoque exigendæ, *Wesenbec. part. 1. cons. 45. n. 41.*
Schrader. de feud. p. 6. n. 4. unde hæc servitia extra do-
micilium Nobilis præstare non tenentur, nec de loco
ad locum extendi possunt *Carpz. Lib. 1. Resp. 57. n. 5.* Ex
quo sequitur, nec Nobilem extraneo alicui operas
suorum rusticorum legare posse, nisi consuetudine aut
moribus provinciæ hæc operarū cessio sit recepta, aut
rusticorum nihil intersit; non enim in operarum præ-
statione boni viri arbitrium excludendum est *L. Mevia.*

De operis in-
determinatis.

13. §. 1. ff. de ann. leg. Si operæ indeterminatæ, quamvis
liberiori potestate in exigendis his servitiis gaudeat do-
mi-

minus; non tamen majori potestate gaudet in his operis cedendis vel legandis. Hoc certum est, quia legari vel vendi potest integrum prædium rusticum, operas hac ratione simul transferri. Imo si ipsum prædium nobile, cui debentur operæ, translatum sit in alium, operas etiam huic debitas translatas esse non dubito, cum pertinentiarum jure æstimentur. Et ut apud nos rusticis facultas à prædio discedendi, si gabellam emigrationis solverint, non deneganda; attamen novi possessores iisdem operis erunt obnoxii. Vnde rectius apud nos dicitur: legatus est mihi ususfructus duorum prædiorum rusticorum, *zwenen Bauer güther* / quam duorum rusticorum; quia rusticorum personæ prædiis non adscriptæ, sed cæteris paribus discedendi licentiam habent,

§ III. Si de operis servorum conductorum quaestio moveatur, certum est, has dominis non deberi, nisi *De operis servorum conductorum.* vi contractus locati conducti, *vid. supra Tit. de statu homin. §. 12.* Sed numne durante conductionis tempore operas aliis cedere poterit dominus? Negandum videtur, cum servus locando operas in certam personam consenserit, ut hinc ipsi invito alia persona non obtrudenda videatur. Sed cum conductori jus sublocandi rem conductam non denegetur *L. nemo. 6. C. locati Petr. Pacion. Tr. de locat. & Conduct. cap. 32.* nec idem denegandum erit conductori operarum, quo minus commodum alteri cedere vel locare possit; hinc *d. L. 6.* etiam de conductore personæ intelligendam esse, probat *Gratian. Discept. forens. c. 185. n. 38. Pacion. d. l. n. 2.* servi enim conducti non interest, cui operas præstet, si cessionario non majores præstandæ, quam cedenti, nec solitis vitæ subsidiis hic quicquam detrahatur, *vid. Rebuff. de Priv.*

vil. Univerf. Priv. 12. n. 7. non enim permittenda illa sublocatio cum damno operarii, Gratianus *d. 2. 3.* Pacion. *d. 1. n. 15.*

De operis indeterminatis.

§. IV Quid vero juris, si servi nostri Operas morbo impediti præstare nequeant! Resp. nec merces ipsis debetur; imo ne sumptus quidem curationis, Molina *de J. & J. Tr. 2. Disp. 505. n. 1.* Lugo *de J. & J. Disp. 29. Sect. 3. n. 58. sq.* Nec refragatur Paulus in *L. 4. §. 5. in fin. ff. de stat. lib.* quando dicit: *Servire etiam nobis intelliguntur, quos curamus agros, qui cupientes servire. propter adversam valetudinem impediuntur;* quem texum ad charitatis legem plerique referunt. Verum longe alia ratio servorum proprie sic dictorum, quibus utebantur Romani; & conductorum. Illi patrimonii portio erant, & hinc quoque ægotantium ratio habenda, si quis jure suo excidere nolit *L. 2. ff. qui sine manum. L. un. §. 3. C. de lat. lib. toll. L. 4. §. 5. C. de bon. libert.* quod & in liberis ægotantibus neglectis vel ejectis locum habere constat, ex *cap. 1. X. de infant. expos. & L. ult. C. eod.* His vero, ultra operas quas nobis præstant, plane non obligamur; nisi quatenus amor Christianus nos generatim obstringit, ut proximo egeni succurramus. Idem dicendum est de damno, quod famulus occasione servitii nobis præstandi in corpore sentit, Carpz. *P. 2. Corst. 51. def. 14.*

TIT. VIII.

De

VSV ET HABITATIONE.

§. I.

Differentia
usus ab usufructu.

Differentiam usus ab usufructu adhuc hodie in foro superesse nullus dubito, unde & in Germanicalingva differunt *der Gebrauch/ und der Genießbrauch/* ubi par-

particula genies ipsam fruitionem denotat, unde plus illa designari, quam nudo vocabulo *des Gebrauchs* / vulgo constat; quamvis non diffitear in usu designando plerumque addi solere, *zu seiner Nothdurfft*: non tamen inde sequitur, ergo hac restrictione omissa, sub concessione *des Gebrauchs* / integrum usumfructum comprehendi, sicut opinatur Carpzov. *p. 1. decis. 69. n. 20. & sqq.* nam si in testamento id contingeret, ex generali ultimas voluntates interpretandi regula, quod testator heredem nimium gravare noluerit, vox illa restringenda erit; quorsum pertinet præjudicium, quod ipse Carpzov. habet, *part. 3. Const. 13. def. 4. in fin.* So hat iz berührte Verpachtung nach Gelegenheit diesfalls / weil der Witwen nur der schlechte Gebrauch legiret / und ihr nicht die vollständige Fruchtneßung vergünstiget worden/nicht statt. Si vero per contractum usus concedatur, videbatur quidem contra venditorem vel locatorem hæc vox explicanda ob *L. veteribus 39. ff. de pactis.* attamen cum vocabuli hujus interpretatio non comprehendat fructus, sed vulgo constet, differre inter se, *einen etwas zum Gebrauch / oder zum Nutzen geben* / à proprietate vocis non discedendum, nisi aliud actum esse appareat. *L. non aliter. 69. pr. ff. de legat. 3.*

§. II. Hoc lubens fateor, usu rei legato si is legato inutilis futurus, censerique quoque legatum usum fructum, attamen non plenarium, uti velle videtur Carpzov. *p. 3. Const. 13. def. 4.* sed hoc effectu, ut usum illum alteri cedere vel locare possit usuarius, quo hic non libere quidem, sed pro necessitate concedentis re utatur: Exemplum vulgo afferunt, in usu sylvæ remotioris e. g. Herciniæ legato, quo casu, si integrum usumfructum ea propter haberet legatarius, quod ipse sylvæ uti

nequeat, plus transferret in vicinum illius sylvæ conductorem, quam ipse, si prope sylvam habitaret, percipere potuisset.

De usufructu
pro indigen-
tia relicto.

§. III. Id quoque non omittendum est quoad usum fori, quid comprehendatur sub legato usufructus pro indigentia e. g. *Er vermache Titio den Genießbrauch seines Guthes / jedoch zu seiner Nothdurfft.* Sub hoc legato usufructus solum usum contineri censet *Carpz. d. Const. 13. def. 4. n. 4.* pro eadem sententia citans *Borgnin. Cavalcan. Tr. de Usufructu mulieri relicto. n. 20.* verum ita temperandam pnto hanc sententiam, ut minus usufructu, plus autem usu hac ratione legatum censeatur; Usuarius enim naturalibus tantum fructibus, non industrialibus uti potest. *L. 12. §. 2. h. t.* nisi quantum ad victum sufficit *d. L. 12. §. 1.* verum usufructus ad necessitatem concessus, etiam amictum continebit, ut & alia ad vitæ necessitatem pertinentia. Imo tandem in usu gregis, & in usufructu gregis ad necessitatem relicto, manifestissima erit diversitas *d. L. 12. §. 2.* talis enim legatarius, non tantum stercore, & modico lacte, cum usuario, sed omni lacte, quo opus ipse cum suis habet, imo & lana ad necessitatem utetur. Minus tamen juris habebit, quam alius usufructuarius, quia ex fructibus, qui ultra necessitatem supersunt, nihil vendere aut in alium transferre potest, sed hi reservandi sunt proprietario. Et huc referenda est decisio *Cavalcan. tit. num. 20.* quando dicit: *Fructus ultra necessitatem relicti non censentur, quia limitata causa limitatum producit effectum.*

De habitatio-
ne.

§. IV. Servituti usus hic subjungitur HABITATIO, quæ licet usui ædium proxime accedat *L. 10. pr. ff. h. t.* ratione effectus tamen in eo differt, quod vi juris ha-

habitandi ædes illas integras alii locare, & ita juris sui exercitium in alterum transferre possit, §. 5. *I. b. t.* quod hodie pariter obtinere nullus dubito; Unde & vidua nobilis, cui habitatio in casum mortis pacto dotali promissa, ædes sibi destinatas dimittere, & illas alii locare potest, nisi pacto aliud conventum, quod pluribus persequitur Nicol. Henelius *Tr. de jure Dotalitii c. 8. §. 16.* Econtrario Ministris ecclesiæ jus locandi habitationem in ædibus parochialibus interdictum est in Saxonia *Ordinat. Eccles. Sax. Art. generalis 32. §. Es soll auch / Carpzov. Jurisprud. Consist. L. 2. Def. 353.* Sed quia ratio ibi subjicitur, ne ex receptis inquilinis scandalum nascatur, aut periculum ædibus contingat, hinc si habitatio hac lege concedatur alteri, ut hæc evitentur, cessabit ipsa prohibitio. Quare & consensu Consistorii parochum, si ædes proprias habeat, parochiales locare posse, asserit *Carpz. cit. def. 353. n. 13.*

Quid si viduæ
nobili relicta?

De Ministris
Ecclesiæ.

§. V. Si duobus habitatio relicta, dubium non est, utrumque æqualiter in hujus juris exercitio concurrere, sed si quis domum communem solus inhabitaverit, an propter alterius absentiam tenetur ad pensionem? Negat hoc Franciscus Gallus *Tr. de fructibus. disp. 3. art. 6. n. 3.* nisi alterum socium inhabitare aut locare suam partem prohibuerit, Vincent. de Franchis *decis. 160. n. 2.* quam sententiam admitto, si alter sociorum solus inhabitaverit, & melioris comoditatis causa omnia domus conclavia occupaverit, non si partem domus locaverit; hanc enim, cum ad alium pertinere sciat, locando ejus negotium gessisse videtur, Plura quæ de fructibus domorum disquiri possent, congeffit Franc. Gallus *d. disp. 3. art. 6.* qui conferri meretur.

Si domum
communem
unus inhabi-
tet.

USUFRUCTUARIUS QVEM- ADMODUM CAVEAT.

§. I.

An vidua de
dotalitio ca-
vendum?

Sicuti jure Romano ad proprietarii securitatem cau-
tio exigebatur ab usufructuario, de re boni viri arbi-
tratu utenda, & finito usufructu restituenda *L. 1. ff. h. Tit.*
ita hodie eandem in foro quoque præstandam esse, nul-
lus dubito; unde etiam vidua dotalitio gaudens ad in-
star usufructuariæ ad hanc cautionem præstandam ob-
ligatur, *Wesenb. conf. 91. n. 15. Hartm. Pistor. obs. 2. Carpz.*
L. 6. resp. 55. n. 11. & præjudicium subjicit P. 2. Const. 42. def. 7.
licet contrarium velit *Berlichius p. 2. concl. 50. n. 68. Pruck-*
mann. p. 1. conf. 47. n. 125. Henelius de Dotalitio c. 9. §. 4.
qui rationem hanc subjicit; quod tituli præsentis dispo-
sitio tantum pertineat ad usumfructum ab homine con-
stitutum, non ad illum quem lex vel consuetudo
indulget; & ad posteriorem speciem, refert dotalitium
Sed quis negabit, dotalitium magis ex pacto, quam
consuetudine deberi; Nec proderit Henelio argumen-
tum à dote ad dotalitium, quasi cum de illa non cave-
at maritus *per Tit. C. ne fidej. dot. dent.* nec de hoc cave-
re debeat uxor; Rationem enim diversitatis unusquis-
que videt; Maritus dominus dotis est; uxor in dotali-
tione est usufructuaria. Marito incumbit cura conser-
vandæ dotis, cum inde sustinenda sint onera matri-
monii, *L. pro oneribus. 20. C. de jure dot.* Sed uxor dotaria
omne lucrum, quod ex dotalitio redigere potest, in
suos usus convertit, & sæpius secundarum nuptiarum
cogitationibus abrepta, rapit ex dotalitio, quod cape-
re potest. Non tamen diffiteor, cautionem hanc

ex

USUFRUCTUARIUS! QUEMADM. CAVEAT. 39

ex liberalitate ab heredibus sæpius remitti, dum res hæc agitur vel cum liberis, vel proximis agnatis, qui nimum rigidi in jure suo persequendo contra viduam esse non solent; inde tamen aliis præjudicium non nascitur, quin cautionem hanc, si proprietati damnum imminere videant, ad ductum juris communis exigant. Hoc certum est, si dotalitium in certis pensionibus annuis consistat, quæ ex ejusmodi prædiorum administratione percipiuntur, quibus non facile damnum inferre potest vidua, cautionem illam male exigi, Myler. ab Ehrenbach *Gamalog. Princip. Imp. c. 13. §. 12. in fin.*

§. II. De cautione pignoratitia, an in quasi usufructu admittenda, dictum est ad *Tit. V. §. VII. & affirmavimus hoc, ob rationem, quod illam exigat SCtum, non Prætor.* Cum ergo cautionem in vero usufructu præstandam desideret Prætor, non pignora, sed fidejussores necessarii erunt, per *L. 7. ff. de Prætor. Stipul.* unde satisfactionem hic ubique jura exigunt *L. 7. ff. h. t. L. 13. pr. ff. de Usufr. L. 4. eod.* Quamvis autem in foro communiter recurratur ad regulam illam, quod plus cautionis sit in re, quam in persona *L. 25. ff. de R. 7.* Attamen resistit hic incertitudo rei super qua cavendum in quasi usufructu certa quantitas debetur, hic vero incertum est, quantum damni rei fructuariæ illaturus sit; ob quam incertitudinem etiam in foro fidejussoribus cavendum esse existimo. Conf. Hillig. *in Donell. lib. 10. c. 14. lit. cl.* Interim nullus dubito, illum cui in foro præstanda est hæc satisfactio, non facile recusaturum esse pignora, si hæc ad probabilem futuri damni modum afferantur.

§. III. Sed quid de cautione juratoria, an ad hanc si fidejussores invenire nequeat, admittendus erit usufructuarius? Quatuor opiniones diversas adducit Gail. *L. 2.*

obs.

De cautione pignoratitia.

De cautione juratoria.

obs. 47. n. 4. & seq. ipse tamen postea n. 8. benigniorem hanc æstimat, quæ juratoriam cautionem admittit, modo requisita ad hanc cautionem alias necessaria in usufructuario concurrant; inter quæ præcipua sunt, quod fidejussores reperire non possit, & quod sit persona fide digna, nec de prodigalitate suspecta, *Auth. generaliter. C. de Episcop. & Cler.* quam opinionem foro conformem probat etiam Joh. Köppen. *P. 1. dec. 33. n. 14. & seq.* Quid ergo, si fides usufructuario haberi nequeat, etiam si juraverit? Non perdet ita usufructum, uti quidam volunt ex *L. 7. ff. h. t.* non enim sequitur, cautione non præstita rem usufructuariam vindicari posse, ergo mox usufructu privandus, sed possessio ei tantum aufertur, & in sequestrem interim transfertur, ut ab hoc annuos fructus recipiat usufructuarius. arg. *L. 5. §. 1. ff. ut legat. nom. cav.* Gomez *Tom. 2. Resolut. 15. n. 3.* Gail. *d. l. n. 10.* & hunc modum assicurandi in Germania usitatissimum esse fatetur Köppen *d. dec. 33. n. 16.*

De remissio-
ne cautionis.

De praxi.

§. IV. De cautionis usufructuariæ remissione constat, illam à testatore fieri non posse, sed heredi tantum ejus remittendi licentiam esse, *l. 1. C. de usufr.* In foro idem obtinere, fidem nobis facit Gail. *l. 2. obs. 145. n. 1.* adeo, ut quamvis testator sub pœna prohibeat cautionis exactionem, heres neglecta pœna hanc exigere valeat, Gail. *d. l. n. 5.* Pariter de praxi hac testatur Carpz. *P. 3. Const. 13. def. 12.* Sane in Gallia cuilibet usufructuario cautionem testamento remitti posse, testis est Mornacius. *in L. 7. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Grœnwegen *de LL. abrog. ad L. 4. C. de usufr. n. 3.* & si generalia juris nostri principia attendamus, vix quicquam resistit huic remissioni; nam si testator integram proprietatem sine contradictione heredis legare potest extraneo, cur non & usumfructum ejusdem rei, remissa cautione de re finito usufructu restituenda? Placet itaque omnino sententia Franzkii *h. t. n. 7.* illam cautionis clausulam remitti non posse *de re boni viri arbitrata utenda*, cum ad abutendum vel delinquendum invitaret remissio: secus quod clausulam *de restituendo* attinet; quæ sententia fundamentum habet in *L. 7. C. ut in possess. legat.* Verum in praxi contra priorem sententiam nemo victoriam sibi polliceri audeat. Conf. Dn. Schilter *Exerc.*

17. §. 65. in fin.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I.

Qui pœnarum irrogationem commutativæ Justitiæ adscribunt, illorum sententia, non nisi qua pœna parti læsæ debetur admittenda: qua vero publica infligenda pœna, omnino meriti & de meriti ratio habenda, & utrobique personæ respectus, qua pœna à Principe vel Republ. est, venit attendendus.

II.

Quæ de septimestri partu recepta in Jure nostro, illa cum ex aliena dependeant authoritate, non necessarium Jus constituunt, sed si aliorum peritorum Medicorum authoritate etiam partus sextimestris vitalitas demonstrari possit, nil vetat, quo minus hunc legitimum judicemus.

III.

Potestatem hodie Matri in liberos competere, ex eo evincere satagunt, quod hodie sine Matris consensu nuptias contrahere nequeant; verum si hæc illatio proba est, & Tutores & Agnati, potestatem sibi vindicabunt.

IV.

Priora Sponsalia publica, tantæ authoritatis sunt, ut per posteriora non dissolvantur, utut hæc benedictione sacerdotali & copula carnali confirmata, imo utut liberi jam inde nati.

V.

Matrimonium ad Morganaticam contractum h.e. sub pactione ne dignitatis & successionis participes fiant, Uxor & ex ea nascendi liberi, nil injustitiæ continet,
nec

nec sinistra manus in hâc desponsatione porrecta, quicquam Matrimonii vinculo detrahit, sicut & dextra nanus salvo hoc pacto morganatico porrigi posset.

VI.

Jus venandi quod Nobiles sibi vindicant, sine titulo possideri nequit. Hinc Principi exigenti titulum eum edere necessum habent, nisi præscriptionem immemoriam docere possint.

VII.

Regalia, quatenus à Privatis exercentur, ordinariæ præscriptioni subjacent, licet contra Principem immemorialis præscriptio, quæ centenaria longior & brevior esse potest, exigatur.

VIII.

Debitor ipse, qui debitum contraxit, nec Lapsu quadraginta annorum à debito liberatur, utut nunquam interpellatus, propter manifestam malam fidem, quam in præscriptionibus Actionum hodie non attendere velle, contra generalitatem Juris Canonici foret. Præscribit ergo hodie debitum tantum hæres debitoris, debiti ignarus.

IX.

Testamentum Jure Turcico conditum valet inter Christianos.

X.

Rectè Clausulam Codicillarem addunt Testamentis, Notarii, utut ipsi ejus vim non capiant: imo etiam si Testator id eis nominatim non injungat.



*Ad Nobiliss. Dn. Autorem
hujus Dissertationis.*




Indefessæ nobilissimi
Dn. Disputatoris Indu-
striæ Testimonium,
quale, quantum sit atte-
starè nil hæreo. Siqui-
dem Lipsiæ notum, quod summa aspi-
ditate studia sua feliciter incoeperit,
fermè dicam, consummarit. Mens ad
altiora tendens, unò Loco contineri
non poterat, oportebat Academiam
Helmstadiensem non videre, sed fre-
quentare, ibique fructus maturiores
colligere. Porro Hallensis nostra Fri-
dericiana ipsi cæpit arridere, ubi mihi
cæterisq; Dominis Professoribus eam
præstitit diligentiam per annos ferè
binos integros, ut non sperare, sed con-
fidere nos oportuerit, eum Industriæ
suæ

suæ Splendorem monstraturum: Quod
Dei Gratia jam factum. Propterea ho-
norificum esse censeo, si ad altiora an-
helanti opem ferat omnis Erudito-
rum Patronus, ut rebus feliciter ince-
ptis, feliciter continuatis, felicissimus
fiat Exitus. Dignus est nobiliss. no-
ster Dissert. petere, dignior accipere,
quæ meruit. Et quis est, qui dene-
gabit, quod non in Dissertatoris so-
lum, sed in nostram Gloriam vergat.
Concedamus ipsi Gradum quem me-
ruit, honorificè tribuamus enim ipsi, &
nil dubito quod animo semper grati-
fico hoc recognoscet.

PRÆSES.


ULB Halle
005 308 755

3



LDNA





Farbkarte #13

B.I.G.



B. V. 1859/1860
 JURIDICA
 RE
 UCTUS
 ERNO.
 AM
 IFICENTISSIMO,
 INCIPE AC DOMINO
 DERICO
 ELMO,
 URGICO ELECTORATUS
 , &c. &c.
 MIA FRIDERICIANA
 SIDE
 LE STRYKIO,
 NTISS. ELECTOR. BRAN-
 O, PROFESSORE PRIMARIO,
 E ORDINARIO, ET
 CANO
 ÆTATEM DEVENERANDO
 IO MAJORI
 MDCXCIX.
disquisitioni submittit
 TOR
 DERICH *Drust* /
 f. Lufat.
 Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

M

87

—

